Historia Scholarum

Vratislav. gymnas. Magdalenaeum

Fechneri Joh: Aeolus Ventorum Tempestatumque potens. 1652.

I. F.

ÆOLUS

Ventorum Tempeſtatûmq; potens.

Ex LIB. I. ÆN. VIRGILII,

Tam Phyſicè, quam Allegoricè

Diverſis Vinctæ & Solutæ Orationis Periculis,

IN GYMNASIO MAGDALENÆO

ACTV SOLENNI ET PRÆMIIS diſtribuendis deſtinato,

DIE ULTIMO OCTOBRIS, HORIS ab VIII antemerid.

A delecta Juventute exponendus,

Procurante

M. JOHANNE FECHNERO P. C. L.
Gymnaſii ejusd. Conrectore.

VRATISLAVIÆ
Exprimebat Typis Baumannianis Gottfried Gründer,
Anno Chriſtiano M DC LII.

Lectori Benivolo

Salutem, Observantiam, Amorem.

Solenne fuit Græcis quibusdam Scriptoribus, ut Commentaria sua ex variis & remotis doctrinis elaborata Ἀμαλθείας κέρας, *i.e. Copiæ-cornu indigitarent; ut ex quibus nihil non peti, nihil non accipi possit. Inter ceteros Phocion ex Peripateticâ Disciplinâ Vir,* Agellio *censore, non ignobilis, Libro suo multæ variæq; Historiæ hoc Nominis indidit, quod scilicet omnigenâ præscateret doctrinâ. Notavit hujuscemodi Titulum, tanquam insolentem, Plutarchus Auctor locupletissimus; quanquam ex Græcorum copiâ peculium suum ampliter ditavit. Is enim Paradoxa Stoicorum, qui Sapienti suo tribuebant universa, salsè admodum* στωικὴν Ἀμάλθειαν *vocitavit. Idem verò quod Philosophis hisce derogat,* Poetis *liberalissimè tribuit, quibus ipsam omnigenæ Sapientiæ Copiam addicere nullus dubitat. Et sanè quivis ex sagacioribus, quem exacti judicii Cortina non fallit, idem planè judicabit. Rectius enim, quàm Stoa Zenonis, quàm Chrysippi Acervus, mystica illa fabulosæ Antiquitatis Sapientia Copiæcornu appellatur. Omnes Poetarum forulos, thecas, pluteos excutere jam non licet. Solius Virgilii, qui in Poetarum censu primus est, Sacra saltim movebo. Hujus Æneis, Poema incomparabile, verum & merum est* Ἀμαλθείας κέρας, *aut si mavis Romano dicere vocabulo, Favissa multiplicis Sapientiæ recondita. Tàm fœta est hæc rerum, tàm pulcrè plena, ut, quanquam literatores*

Lib. I. N. A. c. 8.

In De Audiendis Poetis.

teratores veterum doctrinarum exequentissimi hinc subinde carpunt, quod in suum derivent usum, opes tamen ejus inexhaustæ nunquam minuantur. Promunt alii post alios, & nihilominus relinquunt ubertim, quod sequentes iterum atq; iterum promant. Non ambio Grammaticorum tribus, qui ê Penu Maronèo lautiorem puri Sermonis supellectilem opidò instruendam esse rectè præcipiunt. Præterio sciens Poetarum officinas, qui res suas paupertinas ex istâ potissimum copiâ locupletant: Illa nempe demum Carmina probæ judicantur Monetæ, quæ ad limam Virgilii exactissimam elaborata, quæ ad Formam ejusdem archetypam quàm scitissimè efficta sunt. Transeo Rhetorum Cathedras, qui & ipsi ê Mundo Virgiliano sollicitè arcessunt, quibus Eloquentiam Romanam decenter convestiant. Ad altiora illa Sapientiæ Adyta, unde potiora operæ precia referre licet, libet jam invisere. Hæc scientissimis rerum pulcerrimarum Typis, &, quod Poetarum est, Figmentis graphicum in modum & albâ, quod dicitur, Lineâ â Marone sunt interstincta. Quid aliud est Æneis, quàm Politicæ Prudentiæ, Architectonicæ illius Artis, ut Aristoteles *vocat, quædam quasi Idea luculentissima?* Lib. I. Eth. Nic. c. 2. *Quid aliud est Æneas, quàm absolutissimum Exemplar Principis, tàm togati, quàm sagati, qui & Pacis & Belli tempestate res agendas providentissimè digerit & dirigit? Exhibetur enim hîc Virtutum heroicarum & Artium augustalium* πινακίδιον *consummatissimum, quod breviculo complexu præstat spectanda ea, quæ Politicus aliquis scriptor vix prægrandi & in plures Tomos tributo Volumine dabit expedita. Verum uti pingendi Artifices Tabulæ oras variis* παρέργων *scitamentis, ut Operi archetypo decus aliquod accedat, collustrare solent: ita & Maro Epos & Opus suum argutissimis* ἐπεισοδίοις, *quæ ex Naturæ Theatro maximam partem sunt desumta, passim adornavit. Hæc tàm eximia, tàm exquisita sunt, ut solerti Minervæ manu in candidum Musarum Peplum videantur congesta. Non penetrabimus nos in scenam interiorem: vel in* προπύλῳ *& Vesti-*

bulo

bulo plurima, quæ oculos mentesq́ morari queant, destituuntur contemplanda. In ipso aditu Æneidos visitur Æolus, *qui tanquam Naturæ penitioris Atriensis vasto præsidens Antro Natales & Vires Ventorum, ac in illis Motuum bellicorum Ortus & Progressus artificioso Emblemate expressos ostentat. Eadem quidem Ventorum Patria à compluribus poetico charactere fuit*
Sat. 1. *descripta, adeo ut* Juvenalis *adserat, nulli notam magis esse domum propriam, quàm sibi Æolias rupes &, quid agant Venti: Sed illi hanc rem ita dedere effictam, ut acriorem Satyrici hujus notam videantur meruisse: quam nec ipse Poetarum Pater Homerus effugere potuit. Finxerat is Ventos utre clausos Ulyssi ab Æolo commissos, ut securus tempestatum iter marinum exequeretur. Hoc tanquam absonum festivè perstringit*
Sat. 15. *idem Romanorum* Satyricus, *dum autumat; Ulyssem hujusmodi monstra ac plenos tempestatibus utres super cœnâ Alcinoo narrantem Phæacum Populo, quanquam hebeti & vacui capitis, risum aut bilem forsitan movisse, qui putarint Aretalogum istum ventosum dignum esse verâ Charybdi & in mare abjiciendum. Sed Maro divinus Cyaneos hos sinistri judicii scopulos feliciter evitavit, qui Homero longè circumspectior Naturam altius investigavit, Ventorumq́ natales ex mente veterum Physicorum congruentissimè descripsit. Quid aliud nos docet Æolium illud Antrum, locus plenus furentibus Austris, cui præsidet Æolus, luctantes Ventos imperio premens; quam Ventos esse Spiritus intra Terræ cavernas conceptos clausosq́, quos divina Pronœa contineat & moderetur, ne insubidè proruentes impetu suo violento omnia verrant & vertant. Hanc Sententiam ex Peripato prodiisse, nemo non videt: quam plurimum illustrat lepidum illud Figmentum de Astræo Gigante & Aurorâ Vento-*
Part. 1. Poem. El. 10. *rum parentibus, quod* Bersmannus *Carmine pereleganti enarravit. Gigas ille Terræ filius est Halitus flatuosus intra matris viscera contentus, quem Aurora, sive vis Solis influa complectitur & ex eo Ventos excipit & in liberas edit auras. Emissi jam*

Æolii

Æolii isti Fratres Aerem ventilant, & à torpidâ Vaporum crassiorum fæce purgant. Hoc Maro perspicacissimus intendere voluit, cum Junonem Aeris Dominam ad partes vocat, quæ perlecebrosâ Æolum permovet oratione, ut Trojanos, invisam sibi gentem, Ventis immissis disperdat. Odium illud Junonis in Trojanos implacabile physicè, nisi me consultus Apollo fallit, interpretandum censeo. Ilienses, uti ceteri Phryges, Cybellen Deûm Matrem, i. e. Terram; & Vestam i. e. Ignem subterraneum religiosissimè colebant. Ideo illa Romanis Dea Phrygia: Hæc Apollinari *Ilio propria dicitur; quemadmodum & Vestales Ignes a* Silio *vocantur Laomedonteæ Trojana altaria flammæ. Quis autem ignorat Terram & latentes sub Terrâ Vestales focos impuros subinde & sulphureos expirare Halitus, qui Aerem suâ incendunt lue? Hic itaq; Ventorum operam commodùm arcessit, ut ab infaustis hisce Vestæ exulibus & reliquiis depuretur. Ceterum Aerem quidem salutari juvant ope Æolii Spiritus: ejus enim sunt quidam Cognati; Unde* Seneca *Ventū Aerem fluentem vocat: Sed in Mari quas illi non dant clades! Nam cum Ponto agmine facto incumbunt Æoli Turmæ & Turbæ, Naves in alto prehensæ & decumanis insultantium undarum Fluctibus hinc inde jactatæ aut subvertuntur, aut in Syrtes inexplicabiles compelluntur. Tunc Nautæ re conclamatâ Tabulam secundam, quantum pote, corripientes in littus enatant decisis nudi pennis & omnium inopes. Et hoc quidem satius, quam si à Neptuno grandibus poculis, ut* Servulus *ille* Plautinus *ait, & ancæo invitati potando perîssent.*

Car. 9. Lib. 1. Pun. — L. 5. Q. N. c. 1. — Rud. a. 2. s. 3.

Insinuavimus Physicam Antri Æolii Mythologiam: Sed idem tàm fæcundum est, ut & Politicum insignibus succingat monitis. Motuum bellicorum, sive Ortum, sive Progressum sive Eventum eorundem spectes, expressissimum hic habes Typum. Æoli æmuli sunt bellorum autores, quos pellax Juno, i. e. Ambitio ventosa subinde concitat, ut Martialem inflent tubam. Nimirum, ut Crispus *Romana primus in Historiâ ait:* Una

Saluft. in Frag.

Una eaq; vetus est bellandi causa profunda cupido Imperii. *Qui Spiritus ubi semel pectora Magnatum implevit, non possunt illi se intra suos continere terminos, sed sceptri potentiam longius extendere omni moliuntur nisu. Consule veteres Annales, & liquidò cognosces Reges olim bellicosos libidinem dominandi habuisse belli causas, & maximam gloriam in maximo putavisse Imperio. Opibus suis non contenti in Ditione paterna, quamvis late-tyranni, tanquam parvâ Seripho,*

Juv. sat. 10. *quod de Alexandro* Satyricus *dixit, clausi æstuabant, & Regna Regnis adjicere satagebant. Etquamvis Principes ipsi quiescere sciant, non desunt tamen secreti susurrones & ciniflones, qui ex favillá cineri doloso suppositá incendia bellorum gravissi-*

Aristoph. in Ramis. *ma suscitant, πνέοντες δόρυ καὶ λόγχας. Ita inflammati animi militares aliena invadunt: Sed quo eventu? Quanquam omnia turbant, quamquam stragem longè latèque edunt; tamen viribus & minis Æacidinis frustra consumtis repulsi & inanes plerunque redeunt. Nam bonus Princeps, quem quietum non impunè lacessunt, ut Neptunus geminus, maturè suis præsentem fert opem, hostiumque retundit impetum: tametsi nihil præcipitanter agit. Nam rebus suorum afflictis potius succurrendum censet, quam ut adversarios ulciscatur. Ideò non tàm Armis, quam Consilio rem experitur, & interventu Oratorum gravissimorum, quorum Eloquentia in sedandis mentibus plurimum valet, rem omnem componit tutamque sibi suisque restituit quietem. Talis ferè est Bellorum exitus, quod non veteris tantum, sed & nostri Temporis memoria abundè confirmat.*

Hæc itaque cum Tempestas illa ab Æolo in Classem Trojanam immissa, â Neptuno vero sedata nos doceat, libuit eandem diversis Declamationum Periculis enarrare. Hoc quicquid est operis, Die Crastini meditamur exequi, & Actu quidem solenni, quo

ni, quo ex Munificentia Magnifici & Amplissimi Senatus Discipulis quibusdam, quorum vel Ingenium, vèl Studium nobis probatur, Præmia tribuere solemus.

Quoniam verò, Viri Magni, Clari, Boni, Docti, meritis Dignationum & Honorum Titulis compellandi, Patroni & Fautores submissimè colendi, enixissimè venerandi; Faventiæ vestræ Zephyro benigniore alias usi sumus, Vos maximo rogamus opere, ut & hac vice Auram Favoris secundam nobis adspiretis, præsentesq;, si citra incommodum fieri potest, Benevolentià exoptatâ Declamatores nostros procellæ timidos erigatis, ut æquor dicendi sine scopulorum offensione Vestrâ ope provecti feliciter decurrant. Pro qua exhibitâ nobis & exhibendâ Faventiâ ab æquo Jovâ Vobis apprecamur perpetuos Felicitatis Favonios, qui Vota vestra bona remotis turbarum Austris ad bonos deducant Exitus. *P. P. Die Octobr. Penultimo, Anno Orbis Redemti M DC LII.*

Adolescentes

Adolescentes & Pueri, qui post absoluta recitationum Pensa brevissimè concepta recepturi sunt Præmia, hoc ordine Prodibunt:

I. Prologus, benevolam Auscultationem oraturus, Christianus VVittigius Landishut.

II. Mesologi,
1. Propositori Argumenti exponendi
1. Textum ex Virgilio, Michael Goldtbach Noviforensis, Godofridus Zautzig Vratislaviensis;
2. Paraphrasin ejusd. variato Carm. Petrus Dietericus Dracomont.
2. Expositurì,
1. Physicè & Poeticè,
1. Latin. Carmine Partitim [Jauranus;
1. Locum â quo, [Æolium Antrum] Fridericus Kunthius
2. Locum ad quem, [Aerem] Paulus Ammannus Vratisl.
3. Species potiores, [Austrum & Boream] Salomon Henselius Aurimont. [Vratislaviens.
4. Effectum, [Tempestatem] Christianus Hoffmannus
5. Consequ. Eventum, [Sedationem Tempest.] Johannes Jacobi Strälens.
2. German. Conjunctim Vires, Esaias Viccius Vratislaviensis.
2. Allegoricè per Comparationem & quidem,
1. Politicè Oratione solutâ, Motuum bellicorum
1. Ortum & Progressum, Carolus Stanislaus Teutschmannus Vratislaviensis.
2. Effectum, Godofredus Fridericus Vratislaviensis.
3. Eventum, Compositionem per Principem, Bartholomæus Minor Olsnens.
4. Tolerantiam Spe firmatam, Georgius Engelmannus Au-
2. Theologicè per Parodias [rimont.
1. General. Partis I. Lib. 1. Æn. ad Naufragium D. Pauli Act. 27. applicatæ, Johannes Sauer Vratislav.
2. Speciales Orationum in ea Junonis, Neptuni, Æneæ,
Christianus Tilisch
Godofridus Fritsch
Godofridus Scholtz
Johannes Kretschmer
} Vratisl.

III. Epilogus, pro benevolâ Auscultat. gratias acturus, Johan. Crusius Vratisl.